

32
I. N. D. O. M.

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

*MORALITATE IMPUTATIONIS
ACTIONUM HOMINIS VITALIUM,*

Quam

Conf. Ampliff. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,

PRÆSIDE

Mag. JOH. BILMARK,

HISTOR. AC PHILOS. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORD.

PRO GRADU

Publico Examini modeste submittit

JACOBUS BERNH. ESTLANDER,

Örebrothniensis,

In Audit. Majori die 8 Jan. An. MDCCXCVIII,

Horis a. m. consuetis.

ABOÆ,

Typis FRENCKELLIANIS.

Kyrkoherden

öfver

Lappfjerds, Christinæstads, Storå och Sideby Förfamlingar,

Välårevördige och Höglärde

Herr Magister

RUDOLPH JOSEPH ESTLANDER,

famt

Fru ANNA MARIA ESTLANDER,
född HÖGMAN,

Min vördade Bror och Svägerfka!

Huru lju'va äro icke de känslor, af hvilka jag röres vid detta glada tillfälle, då jag offentligan får betyga Eder min erkänsla och tacksamhet för den godhet och ömma omvårdnad, som J ifrån de spädaste åren af min lefnad hylt för min välfärd. Uptagen derföre tilägnandet af detta lilla Academiska arbete, såsom et svagt vedermäle af den vördnad och högaktning, med hvilken jag, under önskan af Eder beständiga välgång, intil dödsstunden har äran at vara

Eder

Ödmjuke och trognaste tjenare,

JACOB BERNH. ESTLANDER.



§. I.

Motus, qui in nobis existunt, considerantes, prævia edocemur experientia, eosdem & qua suam originem & qua sphaeram effectus, multum inter se variare, alios nimirum oriri ex causis intra nos reperiendis, alios vero ab entium circumstantium in nos actione provenire; quorum illi a Moraliū Doctoribus *actiones*, hi autem *passiones* dici fuerunt, de quibus posterioribus nunc dicere nihil attinet. Enimvero sicut homo duabus constat partibus essentialibus, corpore organico & anima rationali, disparis omnino essentiae ac naturae; ita in diversis quoque detinetur actionibus, quarum illae, quae ex corporis nostri huiusque organorum constitutione proveniunt, vocantur *Naturales*, item *Necessariae*, nec non *Vitales*, propterea quod naturae hominis, tantum instar animalis spectati, convenient, & ad existentiae ac vitae nostrae continuationem adeo sint necessariae, ut, his suppressis, cum hominis vita actum sit & conclamatum. Et ad hos referimus circulationem sanguinis per venas & arterias, systolen ac diastolen cordis, alimentorum in ventre concoctionem, aliosque his similes, qui eodem in nobis peraguntur tenore, sive vigilemus vel dormiamus, sive de his cogitemus, vel minus, qui proinde manum Dei sustentatricem, eandemque beneficentissimam, luculenter produunt. Licet autem in haec actiones nihil arbitrii nobis proprie competat; attamen quum illae sine certis mediis, convenienti tempore ac modo adhibitis, cito cessarent, usus

▲

autem

autem horum subsidiorum a nostræ animæ facultatibus, quæ moralitatis sunt principia, dependeant; sequitur, nostrum in actiones vitales influxum pro re nata haud esse exiguum. Terminantur vero hæ actiones proprie intra nos, nec alii in earum admittuntur communionem. Et sicut eis simpliciter spectatis nihil addimus, ita nec propter easdem, utpote mere mechanicas, laudem vel vituperium meremur, quamvis negari non possit, quin earum oeconomia ad nostram felicitatem haud parum conferat. Alia vero est actionum nostrarum moralium indoles, quæ sicut ab intellectu decernente ac voluntate dirigente, corpore in suum ministerium assumpto, tamquam suis dependent principiiis, hæ autem facultates motivis, ostendentibus, nos connatæ dignitatî ac desideratæ felicitati vel convenienter vel his adversum egisse, nec tamen necessitatem Physicam inducentibus, determinantur, nostro subsunt arbitrio, & quatenus orationis facultate de eo, quod æquum & bonum est, aut quod contrario se habet modo alios reddere possumus certiores, eatenus etiam liberæ sunt & in earum societatem alii, quos volumus, admittuntur.

§. II.

Ex quo homines propter urgentia vitæ solitariæ incommoda animum ad formandas societates, illorum remedia futuras, applicuerunt, satis superque sunt experti, fini, a se intento, multum obstare cum nimiam in pravas actiones propensionem, tum sollicitam plerorumque curam, malum a se commissum occultandi. Senserunt quidem eorum non pauci conscientiæ suæ exprobrationes, quin & interdum cruciatus, quibus tamen a facinoribus patrandis avocari & plene impediri non potuerunt singuli. Legum Naturalium præstantiam & utilitatem quotquot agno-

agnoverunt, easdem tamen jugiter non observabant, quum
 poenæ, delictorum stipendia, hæc e vestigio non insequerentur,
 verum lente affligerent, quare spe animum lactabant, se
 impunitatem obtenturos. Neceffe igitur fuit, Divinis hisce
 legibus alias annectere humanas, expresse determinantes,
 quid faciendum, imprimis vero omittendum esset, nec non
 quæ & quanta certo certius eos maneret præsentanea poena,
 qui legem transgrederentur; quod tamen institutum non
 singulos concernebat sociorum actiones, sed eas, quæ
 societati insigniter obesse censebantur. Circa executionem
 harum sive conventionum sive Legum cardo rei in eo
 vertebatur, quomodo infontes a fontibus discernerentur,
 & hi soli promeritam subirent poenam; quare investigandus
 erat malefactor, in flagranti delicto non nisi raro inventus,
 & quum quisque se indulgenter habens, poenam exhorrescat,
 ac proinde sit inhabilis, qui iudicium de actione sua ferat,
 alii sunt constituti in societate, quibus vices sunt commissæ
 de moralitate actionis, ad se delatæ, cum effectu & sine
 partium studio judicandi, eidemque poenam lege statutam
 applicandi: Quo quidem modo emergit *Imputatio*, quæ est
 actus Superioris, quo factum commissum hujus auctori
 ita tribuit, ut consecutaria bona vel mala ipsi valide &
 cum effectu adjudicet. Auctor vero actionis is habetur,
 qui sciens ac volens membra corporis sui ad aliquid
 efficiendum adhibuit. Fundamentum igitur imputationis
 non tam est animæ nostræ libertas, utpote ab humana
 natura inseparabilis, quam potius non impeditus
 libertatis usus, seu libera voluntatis determinatio
 ad agendum. Ex quibus consequitur, nos imputationem
 non restringere ad statum civilem solum, nec existimare,
 judicem semper esse magistratum, sed alium quoque
 in societate, cui ex quocunque capite quid auctoritatis
 in delinquentem competat. In præsentem itaque opella
 ostensuri moralitatem

imputationis actionum hominis vitalium, in eo nostræ
 versabitur opera, ut dispiciamus, an circa actiones no-
 stras vitales talis esse possit facultatum intellectus ac vo-
 luntatis, verbo proæreseos, concursus, qualis faciat, ut il-
 larum imputatio locum subinde inveniat. Ex portu autem
 jam solventes, B. Lectoris favoris auram nobis adspiran-
 tem, omni quo par est verborum honore enixe expetimus.

§. III.

Actiones hominis mere vitales ei non imputantur.
 Quum enim actiones modo memoratæ a corporis nostri
 constitutione & partium mechanismo unice dependeant,
 facultates animæ nostræ nullum in illas habent influxum,
 quippe quæ actiones pariter fiunt sive eas nobis persep-
 ctas habemus & eas volumus, vel non, sive vigilamus
 vel somno sumus oppressi; quare in his desiderantur cri-
 teria & requisita, auctorem facti constituenta. Nemini
 autem imputatur actio nisi suo auctori (per principia mo-
 ralia); ergo nec actiones mere vitales homini sunt impu-
 tandæ. Quibus superaddimus, actiones modo dictas, qua-
 tenus a principiis moralitatis non deducuntur, ad motus
 quidem hominis, non ad proprias actiones esse referen-
 das, pertinentes nimirum ad statum in ipsa hominis crea-
 tione institutum.

§. IV.

Enimvero quum prævia constet experientia, fieri
 quandoque posse, ut actionibus nostris vitalibus accedant
 animæ facultates, sine nostra enim opera, & nisi mediis
 nos conservandi ab Optimo Numine concessis opportune,
 & modo quem oeconomia corporis nostri postulat, uta-
 mur, actiones istæ vel turbarentur vel intra breve admo-
 dum

dum tempus cessarent, usus autem istorum mediorem in
 nostra sit potestate, sequitur, motus quoque vitales certo
 respectu nostro subesse arbitrio ac moderamini, proin-
 deque tamquam actiones liberas nec plane necessarias esse
 imputandas.

§. V.

Quum adfectus sint vehementiores appetitus & aver-
 sationis seu voluntatis actus, cum extraordinario sangui-
 nis & fluidi nervei in corpore motu conjuncti; evidens
 est, eos ad actiones nostras vitales eo magis esse refe-
 rendos, quo certius constat, eos saepe nobis invitis existe-
 re & intra corpus debacchari. Queritur proinde: an ad-
 fectus homini sint imputandi? Facilis, ut putamus, est re-
 sponso: Si enim adfectus præter nostram opinionem, nec an-
 ta illis vel immodico alimentorum usu vel repræsentationi-
 bus sensualibus data, ex improvise quasi effervescent, no-
 bis, ut casualia facta, non possunt imputari. Enimvero quum
 raro contingat, ut non ex aliqua causarum modo nomi-
 natarum illi oriatur, quin & fermentationi intra nos ex-
 ortæ plerumque cooperemur, auctores eorum merito
 habemur, ac proinde recte imputantur. Imprimis quum
 experientia doceat, hominem sensus & attentionem vel a-
 vertendo vel ad objectum quoddam dirigendo, vel aliud
 quid meditando aut agendo impedire posse hujus vel il-
 lius repræsentationis & inde oriundæ voluptatis aut tædii
 præsentiam, quod satis probat, adfectus nostra potestate
 non esse superiores, adeoque etiam imputabiles. Præterea
 sicut vulgatus est Moralistarum canon: Quod ignorantia
 vincibilis ab imputatione non liberet; ita pari modo con-
 tendere possumus, nec adfectus, utpote in suo ortu imbe-
 cilliores, adeoque a ratione vincibiles, quempiam ab im-
 putatione eximere.

§. VI.

De temperamentis, quibus indigitatur aptitudo partium tam solidarum, quam fluidarum corporis humani, ad sanguinis circulationem promovendam necessaria, quaesitum fuit, an eadem in actiones nostras morales eam habeant vim, ut nos ad certas actiones ferme invitos rapiant, & hæc proinde agentibus imputari nequeant? Verum quidem est, sanguinis qualitatem ac probam per venas & arterias circulationem ad sanitatem multum conferre, corpusque reddere aptum, quod actiones a voluntate imperatas commode exsequatur; inde tamen non sequitur, temperamentum vel principium quoddam actionum moralium esse, vel hominem pro illius diversitate ad diversas actiones abripi. Quin potius fida constet experientia, quemlibet posse, nisi passionum suarum imperio se submiserit, temperamenti sui in se actionem, licet non in prima herba, priusquam tamen debacchari incipiat, cohibere. Si quando aliter contingat, & homo temperamenti vehementiæ succumbat, culpa in neglecto facultatum sibi concessarum usu erit quaerenda. Agnovit hoc jam pridem SENECA, ita scribens: *Nolle in causa est, non posse prætenditur* (a). Quid? Quod influxus temperamenti pro alimentorum qualitate & quantitate, pro diversitate vitæ generis, ætatis, consuetudinis, aliarumque circumstantiarum sæpe variet; manifesto indicio, concursum temperamenti non tollere libertatis usum, adeoque non impedire, quominus, actiones nobis imputentur. Bene igitur observat Pufendorfius: *ubi notandum, præterquam quod homo adbibita cura temperamentum suum non parum retundere & alterare possit; quantacunque etiam vis eidem tribuatur, non tamen eo usque valere judicanda est, ut hominem necessario in violationem legis naturalis rapiat, quo usque hæc in foro humano exercetur, ubi pravae cupidines,*

nes, intra actum exteriorem subsistentes, non attenduntur (b).

(a) Vid. *Epistol. Libr. I. Epist. CXVI circa fin. p. m. 860.*

(b) Vid. *Libr. I. de officio hominis & civis Cap. I. §. 12.*

§. VII.

Quam in confesso est, & somnum & somnia esse actiones hominis vitales, tam dubium multis obvenit, an hæc imputari debeant? de qua controversia ut nostram indicemus sententiam, natura somni & somniorum erit in antecessum paucis exponenda. Somnum igitur illum dicimus statum, in quo dum constituimur, nihil eorum, quæ nobis sunt præsentia, nobis sumus conscii, sensibus nostris consueta suas functiones peragere aliquantisper intermittentibus, animaque & corpore vires suas interea reparantibus. Non jam nos moramur quorundam exempla, oculis semiapertis dormientium, objecta sibi obverlantia satis bene distinguuntium, nec non ad quæstiones sibi propositas apposite respondentium, quippe quæ rariora sunt, quam ut in generali somni descriptione in censum venire debeant. Quum itaque ex hac allata somni descriptione sequatur, eum quasi sequestrare usum operationum mentis, adeoque simpliciter spectatum ad actus mere naturales esse referendum, patet, somnum & actiones hoc durante peractas, proprie non esse imputandas. Attamen quum in hominis sit potestate, somnum assumptis potulentis ac medicamentis provocare, & in somno quis propter alias aliasque necessitates physicas, inscius licet, suscipere possit actiones sibi vel aliis noxias, in culpam omnino sæpe latam, quæ malitiæ æquiparari solet, incurrit, factumque ipsi in pœnam merito imputatur. Hinc sibi nutritrix

nutrix infantem, a se lactandum, in eodem secum lecto posuerit, illumque somno oppressa suffocaverit, facinus hoc & prævidendum & præcauendum in graviores poenam ei merito imputatur. Valet enim heic vulgatus Philosophorum veterum canon: Qui causa est causæ, idem etiam est causa causati. Horrendum omnino ejusmodi factum nobis sistit Patriarcha Lothus, qui postquam eum inebriassent suæ filia, æstu venereo flagrantes, inscius in somno utramque compressit; qui quum in crapulam ipse consenserat, nec ab incestu commissio est plane liberandus, sed qui ei qua partem imputandus.

§. VIII.

Ad somnum accedunt quoque somnia, utraque ad actiones hominis vitales referenda, nec tamen inter se confundenda. Somnium enim dici solet status, in quo constituti rerum ideas habemus plerumque claras, licet tunc nihil eorum, quæ præsentem nostram spectant conditionem, nobis simus conscii. Scilicet quamvis animæ cum corpore arctissimum intercedat commercium; attamen cum distinctæ sint substantiæ, nihil impedit animam, quominus ideas antea perceptas, corpore per somnum ignavo, reproducat, novasque ac plane singulares sibi formet, & quidem adeo vivide, ut dubii non raro hæreamus: an vigilemus, vel per quietem tantum videamus, an res ipsæ vel eorum solummodo imagines sint cogitationum nostrarum objecta. Licet porro contra domesticam nemo negare possit experientiam, somnia ab ipsa corporis constitutione, sana vel ægra, adeoque grata vel ingrata phantasmata animæ offerente, dependere; eadem tamen Magistra constat, somnia sapius ex præviis perceptionibus, quæ velut profunda sui in animo reliquerunt vestigia, oriri (a). Quum itaque somnia non proflus sint

in nostra potestate, nemo enim mortalium talia, qualia sibi exoptaret, pro lubitu effingere valet, observante Cicerone: *Nibil tam præpostere, tam incondite, tam monströse cogitari posse, quod non possimus somniare* (b); proinde somnia ad actiones prorsus liberæ non sunt referenda, adeoque simpliciter spectata nec imputanda. Attamen quum homo vel intemperantia cibi potusque vel adfectibus, quibus distinetur, vehementioribus, vel certis representationibus, quibus interdum nimis indulgit, secuturis somniis occasionem & quasi nascendi sortem præbeat, & hoc modo ad eadem sponte sua concurrat, causâ horum libera existit, quæ proinde etiam ei imputantur. Addimus sicut cogitationes nostræ, quamdiu easdem nobis solis habemus, aliorum hominum dijudicationi non subsumunt; ita quoque nec somnia, nisi appendix moralis eis accedat, civiliter esse imputabilia.

(a) Hinc *CLAUDIANUS* in *Sextum Consulatam Honorii* in præfatione v. 3 & seq. *Venator fessa toro cum membra reponit - - - Mens tamen ad silvas & sua lustra redit - - - Judicibus lites, aurigæ somnia currus - - - Vanaque nocturnis meta cavetur equis.* (b) Vid. *Libr. II. de Divinatione Cap. 6.*

§. IX.

Conveniunt quidem somniantes & noctambulones in nonnullis inter se momentis, in aliis tamen a se differunt: Illi enim ope imprimis phantasiæ se motus locales edere concipiunt, quos tamen non edunt, dum hi de loco in locum se movent, nec tamen motus istius sibi sunt conscii. In his igitur minus, quam in illis, suspensus est sensuum usus; quamvis enim dormiant, e lecto tamen surgere, vestes sibi induere, meditata negotia, quin & fla-

gita non solum domi peragere, sed ad alienas etjam ædes non sine manifesto periculo se conferre, negotioque confecto domum suam reverti, lectumque denuo petere solent; plane ut aliis obveniat dubium, an vigilent vel reapse dormiant, nisi ipsi somno discusso objectas mirarentur actiones, fatentes, se ignorasse, quid in isto commiserint statu. Quod ad moralitatem actionum, a noctambulibus patrarum attinet, hæ non sunt mere naturales & corporeæ, cum aliis cæteroquin hominibus communes futuræ, sed ad statum moralem hominis, morbo licet correpti, referendæ; cujus causam si homo vel phantasia sua nimis exagitata, vel necessarios suis evagationibus non ponens obices, dederit, mali, a se facti, habendus auctor, & hactenus noctambulonum actiones his sunt imputandæ. Imo nisi hi suarum actionum, saltem dum eis occupantur, sibi essent conscii, certe nec propositum nec modus agendi posset discerni; secus vero quum res se habeat, patet, actiones eorum certo respectu esse voluntarias, ac proinde ipsis imputandas. Nemini igitur vitio vertendum, si noctambulonem, se aggredientem, præmissis tamen eum excitandi mediis, his vero nihil proficiat, perinde ac vigilem excipiat, ac cum sua cæde repellat.

§. X.

Quamvis autem somnia in foro civili nemini recte imputentur, docet tamen Historia, quosdam propter eadem fuisse gravissime punitos. Ex annalibus constat, Equitem Romanum, qui in somniis sibi videbatur Imperator factus, somniumque hoc non absque voluptate aliis narrabat, præ se haud obscure ferentem, se huic somnio aliquid tribuere, ab Imperatore TIBERIO, ubi hoc resciverat, capitis fuisse damnatum. Causabatur enim, eum,
 impe-

imperii occupationem secum meditatam, somnio huic præbuisse occasionem (a). Nemo quidem negabit, hanc Tiberii sententiam fuisse maxime truculentam, sed nec minorem equitis imprudentiam, qui licet imperatoris nosceret animum, in vulgus tamen suum somnium, ut portentosum, sparsit, non cogitans, se bilem Tiberii ita commoturum. Cæterum huic exemplo analogæ invenimus alia, quorum duo tantum commemorabimus. In crimine scilicet læsæ majestatis non tacurnitatem modo, & conscientiam criminis, sed & cogitationes puniri, si in notitiam perveniant, ex variorum populorum moribus potest declarari. In Anglia enim sola cogitatio de offendendo Consiliario status mortis poenam olim merebatur (b). In Gallia quum nobilis homo coram Franciscano Sodali religiose factus fuisset, se cogitasse, Regem *Franciscum I.* occidere, propter hanc cogitationem a Judicibus Curia Parisiensis capite fuit damnatus (c).

- (a) Vid. *Plutarchi libellum de profectibus virtutis sentientis citat. ab Heineccio in Prælect. Acad. in libr. Puffendorfi de off. Hom. & Civ. p. m. 34.* (b) *L'Histoire du Ministère du Cardinal de Richelieu Part. 2 p. 182.* (c) Vid. *Bodini Libr. 2 de Republica Cap. 5. p. m. 339.*

§. XI.

Occasione argumenti, cujus explicationem nobis proposuimus, quæsitum quoque fuit: quid de moralitate pollutionum nocturnarum & somniorum impurorum, ad vitales actiones omnino pertinentium, sit habendum? Neminem forte fugit, propter hæc in cives Republicæ Judaicæ olim fuisse animadversum, adeo ut qui ita polluerentur, aqua se probe abluerent, & ab aliorum hominum consortio aliquantisper abstinere, Levith. XV. Ad legis

gis vero Naturalis tenorem eadem expensuri, dispicere debemus, an homo, cui obtigerunt, ad eadem aliquid contulerit, vel nimia alimentorum copia, vel libidinosis cogitationibus, vel denique imaginatione nimis vivida occasionem eis præbens, quibus in casibus a culpa in foro vel Divino vel suæ conscientiæ non liberatur, quamvis ad ea in foro civili non attendatur; sin vero pollutiones istæ fuerunt necessariae sanguinis excretiones, ut actiones mere naturales, homini non sunt imputandæ.

